

Q.K.424,6.

X 1876763

B. M.

II  
i  
1008

CENSURA  
CATHOLICA

ALPHONSI  
TOSTATI,  
Hispani, Episcopi  
Abulensis.

De  
COLLOQUIO  
RATISPONENSI.

BIBLIOTHECA  
RAVIANA



A N N O

M. DC. VIII.



С Е И С Н Я  
С А Т О Р

И С І О Н П Л А  
Л Т А Т З О Г  
и с о н п л а

а т з о г


с а

о к е о и

а т з о н а с

о и и а

и д а н



V I T A  
**Alphonsi Tostati, Hispani.**

Episcopi Abulensis,

A U T O R E

**R A I N E R O B O V O S I O**

*Cano. Reg. congreg.*

*S. Salvatoris.*



X V E T U S T I O R I B U S , Q U O S  
e tenebris Nostri in lucem revoca-  
runt, nullus Auctor omni sublata con-  
troversia , extitit, qui sit cum eximio  
singulari ac planè divino Tostato no-  
stro comparandus. Is enim propemodum puer Sal-  
manticæ liberalibus disciplinis traditus , ac in Colle-  
gium Sancti Bartholomæi in Lauro receptus, relicto  
mundo primùm in Presbyterum , deinde in Ponti-  
ficiis dignitatem divina providentia assumtus , vix  
duos & viginti annos natus, tantam rerum omnium  
Scientiam est adeptus, ut non solum eorum, qui nunc  
sunt , antecellat gloriam , sed etiam antiquorum fe-  
rè omnium memoriam superaverit , usque adeò , ut  
mirum sit , quonam pacto , tam exiguo , id est , qua-  
draginta annorum , quo vixit tempore , inter publica  
privataque negotia ( erat enim Regis Consiliarius ,

A 2

Hispa-

Hispaniarumque major Referendarius ) tanta per-  
 currere, intelligere, meminisse, disputare, conscribe-  
 re que potuerit, quanta certe nullus unquam ne lege-  
 re quidem se posse confidat. Fuit cum primis doctus  
 Vir acutissimo ingenio, judicio peracri, memoria  
 profunda & immensa, & quod magis refert, insigni  
 sanctimonia. Nulla ei artis ingenuæ cognitio defuit:  
 omnes liberales disciplinas, nullo adhibito Præcepto-  
 re, & didicit & penitus exhausit Philosophiam, Theolo-  
 giam, Pontificium ac Cæsareum Jus ita complexus  
 est, ut in Salmanticensi Academia, in qua paulo ante  
 didicerat, mox docuerit, essetque triplici Stipendio  
 conductus ē publico, id quod ante eum, nec post ad-  
 huc nulli contigit. In Mathematicis versatissimus  
 fuit. Omnium rerum gestarum ab orbe condito  
 usque ad sua tempora cognitionem memoriamque  
 reservabat. Multa in Geographia scripsit; utriusque  
 linguae, Græcae præsertim & Hebraeæ peritia excelluit.  
 Omnium denique scientiarum, doctrinarumque  
 arca & emporium fuit. Et, quod vix credi potest, ita  
 in singulis doctus evasit, ut earum unicæ tantum to-  
 to vitæ suæ decursu operam dedisse videretur. Tanta  
 viguit Memoria, ut quos legisset libros, nullo labore  
 integras recitatasset. Hinc ferunt, cum universorum  
 Salmanticæ Scholasticorum Abulensisque ditionis  
 sacerdotum, quorum infinitus quasi est numerus,  
 eorumque qui semel adiissent, non solum nomina,  
 sed gentem & fortunam retinuisse. Sed quid mi-  
 standum: Cum hæc summi ac præpotentis Dei mu-  
 nera fuerint singularia? Nunquam otiosus, nunquam  
 invecatus est, jejuniis, vigiliis, orationibus semper i n-  
 tentus

tentus illustre sanctitatis omnibus exemplum præbuit. Virginem natum, virginem obiisse affirmant: Ita ut veluti Beatus in Ecclesia Abulensi sub honorifico deposito veneretur, atque in sepulcro conditus per populos, per civitates, per omnium ora versetur.

Sunt ea quæ scripsit memoratu incredibilia. Incipit à Moyse, sacras percurrit Historias, novam legem interpretatur ac diligenter exponit. In his munitissima quæque in lucem pandit, abdita referat, arca revelat, errores confutat, falsa explodit, & gravissimo quodam stylo altas sublimesque sententias explicat. Hebræorum Rabinorum scripta perlegit, & si quæ bona inerant, excerpit ac comprobavit; errores autem, deliramenta, somnia & superstitiones refellit & explodit: Omnia sapienter, omnia integrè, omnia graviter tractavit. Et quanquam universæ quæ scripsit ornatissima sint & exulta, enituit tamen majori quodam doctrinæ splendore, cum de sacris Evangeliiis egit tam multitudine quæstionum, quam sapientiæ profunditate. Tot tantaque præclara in easdem scripturas sacras edidit volumina, ac etiam ex variis materiis opuscula, ut sit incredibile dictu, tam brevi temporis spacio, nempe decem & octo annorum, tam ingentem molem & dictâsse, & propriis digitis scripsisse, quorum Catalogus inferius hic describetur.

In editione autem operum, quæ jam extabant, quid præstiterimus, haud facile referre possumus. Primum quidem sensus, ac sententias multis in locis confusas, ac depravatas, maxima qua potuimus diligentia, ac studio reformavimus. Deinde multorum

Auctorum testimonia, Auctoribus ipsis, ex quibus  
desumpta erant, adhibitis, restituimus. Præterea an-  
notationes marginales, quoniam nonnullæ superflue-  
erant, quædam inutiles, & vanæ, permultæ falsæ, &  
quod magis refert, quamplurimæ erroneæ, ac teme-  
rariæ, ob idque ab Auctoris MENTE, Q UÆ SEMPER  
PURA, SANCTA ET CATHOLICA FUIT,  
prorsus alienæ, magna ex parte recidimus, ac penitus  
delevimus, atque aliquantum earum loco, tum alibi  
adjectis, totum opus locupletavimus. Insuper cum  
in priori editione nulla orthographia, nulla inter-  
pungendi ratio habita fuerit, nullum adhibitum  
diphthongum, nihil quidem sine stomacho legeba-  
tur. Nunc verò multa diligentia, ac labore usi sumus,  
ut omnia, mendis omnibus sublati, rectè emenda-  
teque imprimenterentur, quo totum opus suæ puritati,  
ac decori restitutum prodiret in lucem.

Demùm quod ad Indicem spectat, tanta cum  
fœditate vitiorum reperimus, ut nullo, neque in  
priore quidem editione, usui esse posset. Numeri  
enim citationum, ut sententiarum errata, quibus  
scatebat, silentio prætereamus, ita falsi, ac fallaces  
erant, ut decimum quemque fidelem, si experiaris,  
certè non invenies. Nunc emendatum, exornatum,  
& auctum tibi reddimus, V A L E.

*Super Genesin liber unus, quem scribebat Anno 1436.*

*Super Exodum libri duo,*

*Super librum Numerorum libri duo,*

*Super Deuteronomium liber unus,*

*Super Iosua libri duo.*

*Sapar*

Super Iudicum & Ruth, liber unus.  
 Super primum librum Regum, libri duo.  
 Super secundum, liber unus.  
 Super tertium, liber unus.  
 Super quartum, liber unus, hunc composuit Anno 1446.  
 Super Matthaeum libri septem, quorum sextum  
     Anno 1446. septimum vero 1449. edidit,

Opusculorum, quæ jam excusa sunt:  
 Defensorium trium conclusionum, quem emisis  
     Anno 1443.

Liber de quinq[ue] figuratis paradoxis.  
 Libellus de sanctissima Trinitate.  
 Libellus super Ecce virgo concipiet &c.  
 Libellus contra Sacerdotes publicos concubinarios.  
 Libellus de statu animalium post mortem.  
 Libellus de optima Politia.

Impressa sunt Anno 1507. Venetiis, ut videre licet in  
 Bibliotheca Gesneri, & iterum ibidem Anno 1596.  
 tredecim justis voluminibus in folio: Philippo Se-  
 cundo Hispaniorum Regi dedicata.

## I. Bavarici.

Sacra Scriptura non est  
 Index omnium controversi-  
 arum fidei & Religionis Chri-  
 stiana. Est quidem norma in-  
 fallibilis, verum nec sola nec

## Palatini.

Verbum Dei Prophetarum,  
 Evangelistarum, & Apostolo-  
 rum scriptis comprehensum,  
 doctrina, cultus ac fidei Chri-  
 stiana unicam, certam aq[ui]-  
 unica infal-

unica, sed præter hanc necesse est infallibilem normam, regulam  
sæpius admitti debent traditiones & Ecclesiæ definitiones, ac mensuram, cui propter ipsius  
Doctorum & Orthodoxorum consensus. Deum auctore per se fides ha-  
benda sit, indubitanter agnoscimus.

Proleg. pag. 18.

Proleg. pag. 19.

### Toftatus.

Soli sacræ scripturæ & non alii adhibenda est fides firma, Ind. 177. f. 6.

Sacra Scriptura omnes artes & negotia dignitatis altitudine antecellit: Est enim OMNIUM CERTISSIMA, Proleg. in Gen.

Quæritur, quare Christus in omnibus istis tentationibus defendit se auctoritate scripturæ? Nam in singulis allegavit aliquid contra dæmonem, ut patet in litera (scriptum est, scriptum est, scriptum est.) Quia Christus volebat respondere valde efficaciter diabolo, ut se conclusum & confusum videret: Et

{ Quia nulla est maior auctoritas sub Deo, quam SACRÆ SCRIPTURÆ, qui per eam convincitur, FIRMISSIME convincitur, Matth. 4. q. 28.

Autoritates sacræ scripturæ sunt arma offensiva, quia per ea invadimus hostes & SUPERAMUS, quare tela vocantur. Gen. 9. c. 1. E.

Si contingat, quod dicens talis sit, qui errare non possit, scitur verum esse, quod dicitur, necessariò non ex necessitate, quam in se habet res gesta; sed necessitate consequente; sed iste dixit, qui errare non potest, ergo necesse est verum esse, quod ille dixit: Et iste

isto modo adhibemus fidem sacræ scripturæ. Nam licet continentur in sacra scriptura multa historica, ut de creatione mundi, & de diluvio, & de divisione linguarum, & de divisione maris rubri, & transitu Jordonis, & statione atque reversione Solis, quæ non solum non habent causam ad hoc, quod probent, sed etiam repugnant conditioni naturæ; quia tamen scripta fuerunt omnia hæc à Prophetis, qui locuti sunt per Spiritum sanctum, adhibemus illis tantam fidem, ita ut dicamus, impossibile fuisse falsa scriptis se eorum Auctorem, quia alijs Spiritus sanctus mentiretur per quem solum, & non per ingenium, nec per voluntatem humanam ista scripta sunt. Sic patet 2. Petri 1. sententia: Non enim aliquando voluntate humana allata est prophetia, sed Spiritu sancto dictante, locuti sunt Sancti Dei homines. Et ista est auctoritas omnium librorum sacræ scripturæ, tam Novi quam Veteris Testamenti, qui Canonici appellantur. Et de ipsis dicit Augustinus, quod ipsis solis libris, qui Canonici appellantur, tantam novit fidem adhibere, ut credat auctores eorum non posse mentiri: in epistola ad Vincentium Donatistam. Et paulò post: Quia auctor sacræ scripturæ est talis, qui mentiri non potest, scilicet Spiritus sanctus, assentimus ipsis, quia scimus, Deum hæc & quælibet mirabiliora efficere posuisse. Defens. p. 2. cap. 18.

In omnibus, quæ sunt, semper oportet dare Regulam, per quam ea quæ sunt mensurentur: & sicut Regula debet esse CERTISSIMA, ita debet conformari operatio illi, in quantum possibile est. CUM ergo in omni VERITATE, VERITAS DIVINA

B

sic

sit certior & immutabilior, ergo omnes aliæ debent regulari per illam, & in quantum conformantur illi, sunt veræ: in quantum autem deviant ab illa, deviant à natura veritatis. SACRA autem SCRIPTURA VERITAS DIVINA EST, ideo Judicium nostrum debemus regulare per illam, applicando ad eam, non autem applicare legem Dei ad intellectum nostrum: quia sic peribit omnis cognitio veritatis, cessante certo modo cognoscendi. Genes. pag. 16. cap. 4. F.

## 2. Bavatici.

Illud negamus, omnia omnino, que ad cultum Religionis, seu doctrinam spectant expressè in scriptura sacra contineri, p. 112. Quis enim non audivit, jam sapientis nobis negatum scripturam seu scriptum DEI verbum esse systema illud perfectum, quod nempe perfectè & expressè comineat omnia omnino dogmata iam fidei quam morum, pag. 121. p. 154. Nec ulla ratione probari potest, quod nobis ob oculos posita esse omnia omnino præcepta iam fidei quam morum veteris Testamenti sunt scripta, p. 139. De nova legis præceptis id probari nunquam potest. ibid.

## Palatini.

In verbo divino omnia, quæ nobis ad veram DEI & voluntatis divinae agnitio nem, adeoq; ad salutis eterna consecutionem, nec non ad cultus DEO placentes necessaria sunt, sufficienter contineri, minime dubitamus.

Quæcunq; ad salutem scientia necessaria sunt, satis perspicue & dilucide in utroq; pag. 20.


Tofla-

### Tostatus.

Fundamenta necessaria ad salutem T A M I N  
F I D E Q U A M I N O P E R E O M N I A posita  
sunt per Christum & Apostolos ejus in scriptis, quæ  
reliquerunt. Defens. p. 2.c. 53.

Sacra scriptura O M N I B U S suis PARTIBUS  
P E R F E C T I S S I M E constat, ut nec additamentum,  
nec subtractionem patiatur. Ind. 177. c. 3.

Sacratissima scriptura, quæ Spiritu sancto dictan-  
te composita est, in omnibus partibus suis ita perfe-  
ctissimè constat, quod nec ei subtrahi, nec addi con-  
veniat, ut patet Deut. & Apocalyp. ult. cap. præfat. in  
Gen. p 2.



### 3. Bavarici.

Præter scripturam Traditiones non scriptæ, que  
necessariò admitti de cultum spectant, reiiciuntur in sa-  
bent traditiones & Eccl. literis, p. 93. Pij Reges, Princi-  
clesia definitiones Doctores & Sacerdotes tantum ad ver-  
etorumq. Orthodoxorum DEI respexerunt. Pag. 88.  
consensus. Pag. 18.

### Palatini.

### Tostatus.

Super illa verba Deut. cap. 4.

*Non addas nec detrahas quicquam.*

Hic commendatur lex ex perfectione, quia per-  
fectione nec addi potest, nec auferri debet, ut patet 2.  
Ethic. Operibus benè se habentibus, dicunt, quod  
non est auferre nec apponere, Sic Apoc. ult. c.

B 2

quia

quia tota revelationum series claudebatur, dicitur; Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super eum plagas scriptas in libro isto, & si quis diminuerit, auferet Deus partem ejus de libro vitæ & civitate sancta. Quod autem alicui scripturæ canonicae nihil detrahi vel diminui debeat, manifestum est quia omnis scriptura sacra Spiritu sancto dictante conscripta est, ut 2. Petri 1. Omnis Prophetica scriptura propria interpretatione non fit, non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirante locuti sunt sancti Dei homines. Qui autem aliquid de scriptura tollit, ideo tollit, quia verum non esse putat, qui autem tale facit, non solùm infidelis, sed etiam contra Deum præsumtor est: unde auferet Deus partem ejus de libro vitæ & civitate sancta, Apoc. ult. quia Deo manifestè contradicere audet. Et sic Arriani raserunt de Evangelio Johān.

14. Ego in Patre, & Pater in me est. Et illud de Canonica Joh. 5. Et hi tres unum sunt, dicentes: Hoc non esse de sacra scriptura, quia contra eorum infandissimum errorem militabat, scil. quod Filius esset pura creatura. Sed quantum ad additionem sacræ scripturæ, aliter est dicendum, quia aut ille qui addit tanquam aliquid de textu, vel necessarium sicut alia quæ sunt in textu, velut dictum à Spiritu sancto, & hoc vocatur propriè addere, & qui talia agunt, mortem æternum incurruunt, &c.

Alio modo fit additio sacræ scripturæ per modum interpretationis. Est enim scriptura obscura, & in quibusdam locis humanum ingenium excēdens, Et paulò pōst. Taliter ergo in sacra scriptura adden-

addentes, quantum Spiritus sanctus unicuique lat-  
giri dignatur, vituperandi non sunt, cùm eos & ipsa  
Scriptura commendet, non parvum laboris præmi-  
um ponens, scilicet: *Qui elucidant me, vitam æter-  
nam habebunt.* Eccles. 24. c. Et ista interpretatio  
non propriè vocatur additio, quia additio facit in re  
magis esse: interpretatio autem non facit aliquid  
magis esse. Unde non accrevit Scripturæ sacræ ex  
multiplici expositione omnium Doctorum Catholi-  
corum, qui ab exordio primitivæ Ecclesiæ fuerunt  
usque hodie, unus apex, aut iota unum. Et sic tanta  
erat sacra scriptura, cùm nullus eam adhuc exposu-  
erat, quanta in fine mundi, quando super eum quasi  
infiniti libri confecti fuerint, ut Joh. 21. c.

Concordat Lyra Deut. 4. Non addes nec detra-  
hes quicquam, eminentia legis ostenditur ex ejus  
perfectione, cùm dic tur: Non addetis ad verbum,  
&c. Illud enim perfectum est, quod non habet ali-  
quid superfluum aut diminutum.

#### 4. Bavarici. Palatini.

Iudex omnium controversiarum  
fidei & Religionis Christianæ est versiarum religionis o-  
Pontifex Romanus, hodie Clemens VIII. inter eos pre-  
dicti Petri Successor, Christi VI. sertim, qui Christiano-  
carius; cuius definitio toti Ecclesia um nomen sibi vendi-  
cum auctoritate proposita in con cant, Iudicem, aut sanc-  
troversis questionibus religionis de- vocem Iudicis supremi,  
cidet B. 3 quem

*cidendus infallibilis est , sive cum quem omnes agnoscere ,  
concilio sive absgz concilio definiat . timere ac venerari se-  
nemur , constituimus .*

Pag. 168.

Pag. 190.

*Tostatus.*

*Papa potest errare in fide & operibus , & effici  
hæreticus , ut in Marcellino Liberio , & Johanne 22.  
apparet , neque sequitur : Papa condemnat aliquam  
propositionem tanquam hæreticam . Ergo est hære-  
tica . Defens . p . 2 . c . 30 .*

*Judicium in controvërsiis religionis est totius  
Ecclesiæ universalis , quæ sola & nemo aliis habet  
Privilegium , quod non possit errare . Defens . pag . 2 .  
c . 25 .*

*Papæ autem hoc Privilegium non tribuendum ;  
neque Papam pro Ecclesia accipiendum , quippe qui  
non modo errare , sed qui hæreticus fieri possit . De-  
fens . p . 2 . c . 30 .*

*Summus Pontifex , in quantum est unus Ju-  
dex , E R R A T aliquando , quia non cognoscit o-  
mnia , licet dicatur habere omnia Jura in scrinio pe-  
ctoris , ut patet in 6. dist. rescriptis , c. Licet Roma-  
nus : Et sicut aliquando contingit cum peccare mor-  
taliter , perdendo charitatem , ita contingit cum per-  
dere rectum judicium , quantum ad aliquid . Et pau-  
lò post : Romanus Pontifex licet magnam habeat  
potestatem , interdum non est vir multum virtuo-  
sus , quia tamen non habet Deum , ita ei responden-  
tem ad omnia , sicut habebat Moyses , facilius E R R A-  
T E potest . Exodi cap . 18 . q . 11 .*

S. Bava-

5.

## Bavarici.

Papa quando aliquid pronunciat ac  
definit ex cathedra sub anathemate, tunc pronunciat ut Pontifex & non er-  
rat. Et cum per bullam alligat totam non simpliciter  
Eccliam, tunc itidem certum est, illum standum illorum  
pronunciare ut Pontificem,

Pag. 87.

## Palatini.

Summos Ponti-  
fices constat sapi-  
sime errasse. Ergo  
non simpliciter  
standum illorum  
sententia.

Pag. 43.

## Tostatus.

Persona est eadem numero, Gregorius ut Papa,  
& ut non Papa: & ideo æqualis sapienx est, utroque  
modo, sed non æqualis potestatis. Quia Papatus po-  
testatem addit, Potestas autem est ad aliquid juben-  
dum, non ad aliquid verius dicendum. i. Reg. pag.  
147. col. 1. E.

6. Bavarii.

Fæmelle in veteri Testa-  
mento non habuerunt spem  
salutis, pag. 40. Damna-  
scriptura omnes fæmellas  
ante annos discretionis pro fæminis fuit meritū Christi,  
mortuas, pag. 47. Quomodo quod retrò operabatur ad fæmel-  
læ mundatæ fuerint, las etiam in veteri Testamento  
in tota scriptura sacra non reperitur. Pag. 52.

## Palatini.

Fæmelle in veteri Testamento  
salva facta sunt ex promissio-  
ne, qua facta est Abraha & se-  
mini eius, Gen. 17. p. 42. Remediū  
profæminis fuit meritū Christi,  
Pag. 45. 50. 52. 42. 58.

Tost.

## Tostatus.

Gen. cap. 17. pag. 260. col. 2. (in verbis, Omne masculinum:) Fœminæ autem, quia carebant illo membro, in quo fiebat circumcisio, non circumcidabantur, sed in eis sufficiebat FIDES MESSIAE FUTURI saltem implicita, in quo omnes salvandi erant.

## 7. Bavarii.

Masculi ante octauum diem sine circumcisione mortui damnavi sunt. p. 40. De parvulis ante octauum diem moribus non ostendetur locus in tota scriptura, qui promittat illis beatitudinem. Pag. 44.

## Palatini.

Masculis ante octauum diem morientibus, non fuit data illa lex circumcisionis: Proinde Deus in casu necessitatis immensuaria sua virtute operatus est in suis regenerationem, & sacramentis non ita suam gratiam al mittat illis beatitudinem. ligavit, ut extra illa non possit opem ferre. Pag. 42.

## Tostatus.

Si periculum mortis ante octo dies puerō eveneret, nec propter hoc circumcisio accelerari debebat, tamen puer sic moriens: si non ex negligentia parentum omitterentur ceremonialia, non perdebatur, sed transferebatur ad sinum Abrahæ, SALVUS IN FIDE parentum promptorum facere, quod Lex mandabat, nisi Deus hoc impediret, vel natura Gen. 17. cap. fo. 260, col. 4. in verbis: Omne Masculinum.

Concor-

Concordat Pererius Cardinalis in Gen. cap. 17.  
 his verbis: Dicat aliquis; quod igitur remedium ad  
 expiationem peccati originalis adhibebatur infanti  
 ante octavum diem de vita periclitanti. Illud idem  
 profecto, quod antè institutam circumcisionem in  
 lege naturæ ad eum finem usitatum & comparatum  
 fuerat: Applicationem dico fidei parentum vel cu-  
 ratorum infantis offerentium, exteriori aliquo signo  
 cum Deo & providentiæ ejus commendantium.  
 Nam post latam circumcisionis legem, remedium  
 illud antiquatum est, uno tantum excepto casu, si an-  
 te octavum diem circumcisionis mors infantis ti-  
 meretur: tunc enim remedium illud erat salubre &  
 efficax, non minus certè, quam simpliciter fuerat  
 ante præceptum circumcisionis..

## 8. Bavarici.

Aaron fuit quidem Pontifex, sed  
 non Summus, verum compara-  
 tione sui fratri Moysis, pag. 63. Aa-  
 ron summus quidem fuit propter re-  
 liquos Sacerdotes, non autem respe-  
 ctu fratri, qui fuit superior. pag. 64.  
 Fuit supremus in suo genere, id  
 est, respectu subditorum, sed non fuit  
 summus simpliciter & absolutè re-  
 spectu fratri, & illo vivente, quia  
 Moyses habuit ante Aaronem Sacer-

## Palatini.

Aaron fuit Sum-  
 mus Sacerdos à DEO  
 constitutus. pag. 62.  
 63. 64. Epistola ad  
 Hebraeos non vocat Sa-  
 cerdotium Mosaicum,  
 sed Aaronicum. pagi.  
 65. Moyses sacrificia-  
 vit in ordinatione  
 Aaronis tanquam Pro-  
 pheta Domini, non  
 dotum, C tan-

dotium, ideo respectu summi Sacerdoti quā summus PON-  
dotij nihil fuit peccatum. pag. 63 tifex pag. 66. Post-  
Moyses ordinavit Aaronem. Ergo quam Actus ordinaz  
ipse fuit superior pag 66. Non puto iuris fuit absolutus.  
unquam in dubium vocatum fuisse non amplius Moyses,  
quod Moyses fuerit summus Pontificis sed Aaron sacrificia-  
fex. Pag. 60.

### Toftatus.

Moyses non erat Sacerdos MAGNUS aut MA-  
IOR, sed Deus illi ad hoc (ut Aaron & Sacerdotes  
consecraret) potestatem tribuerat, quoniam erat  
Sacerdos unctus oleo invisibili. Cum autem isti con-  
secrati sunt, & ministrare coeperunt, NON LICUIT  
ei ministrare, nunc autem alii, qui ministrarent le-  
gitime, subrogati sunt. Levit. 66, c. 1. E.

Aaron frater Moysis major fuit Moyse tribus  
annis, & haec fuit una de causis, quare Aaron assumpsit  
SUMMUM Sacerdotium, & non Moyses. Levit. 154.  
cap. 4.

Aaron erat major quam Moyses tribus annis.  
Ergo ad ipsum pertinebat Principatus populi Leviti-  
ci, & ista fuit causa, quare ipse factus fuit SUMMU'S  
SACERDOS. Exod. 4.5. p. 7.

Quantum ad ea, quae pertinebant ad Sacerdo-  
tium & CULTUM DEI in sacrificiis & similibus ma-  
jor erat Aaron quam Moyses. Nam Aaron erat SUM-  
MU'S SACERDOS, Moyses vero simplex Levita.  
Nec valet, si arguas, quod ipse fecerit omnia sacri-  
ficia

ficia tempore consecrationis Sacerdotum. Nam-  
tum ex necessitate factum est, cùm non esset alius,  
qui posset consecrare Sacerdotes, & in talibus nec-  
essitatibus Levitæ poterant supplere locum Sacerdo-  
tum, ut tempore Ezech. 2. Paralip. 29. Et paulo post:  
Erat igitur Aaron MAXIMUS quantum ad cultum  
DEI, tamen quantum ad regimen populi Moyses erat  
major. Num. 4. 1. pag. 14 cap. 2. C. D. E.

Aaron erat jam effeclus (Levit. 9.) Dominus Sa-  
crificiorum: cùm esset SUMMUS PONTIFEX; Moy-  
ses vero NIHIL in his poterat, quoniam esset sim-  
plex Levita, & cessaverat ministerium suum, quod  
fuerat in defectum, non existentium Sacerdotum.  
Lev. 7. 2. cap. 2. Et paulo post: Autoritas mandandi  
quantum ad sacrificia, non MANEBAT IAM PENES  
MOTSEN; sed penes Aaron, cum ipse esset SACER-  
DOS MAGNUS, & ideo directè non poterat Moyses;  
jubere aliquid de Sacrificiis Israëliticis, sed juberet  
hoc Aaron. Et cùm dicitur, quod Moyses jubebat  
hīc aliquid Aaron, non est hoc intelligendum, quod  
hoc juberet tanquam Moyses, sed tanquam Prophe-  
ta referens ea, quæ à Domino dicebantur, & hoc  
modo major erat Propheta quolibet alio homine,  
cùm gereret personam Dei. Aaron Pontifex erat, &  
sacrificia faciebat, idcōbenedicere populo ad ipsum  
pertinebat, nec in præsentia jus erat Moysi benedice-  
re populo. Levit. 66. col. 4.

In spiritualibus simpliciter Aaron major erat  
Moysē; Nam Aaron Pontifex erat: Moyses autem  
unus de simplicibus Levitis. Ibid.

C 2 9 Bava-

## 9. Bavarii.

Aaron nihil commisit contra illam summam judicariam protestatem, qua erat preditus tanquam Pontifex. pag. 60. Verbi tunc quando tanquam gratia: Si quis me cogeret, ut quid facarem contra Fidem & religionem meam, interius ta-

## Palatini.

Summus Pontifex Aaron à Deo ipso constitutus, in doctrina erravit, & Pontifex constituit cubulum aureum. Pag. 38. & passim in sequentibus.

Pag. 71.

## Tostatus.

Aaron non peccavit peccato Idololatriæ, sed in aliquo, quod aliquo modo indirectè pertinet ad Idololatriam. Nam potius debuisset omnia mala pati, quam malo consentire fecit enim vitulum timore mortis. Exod. tom. 2. 135. col. 3.

## 10. Bavarii.

CARTA NON QVIS TERRITORIUS

## Palatini.

Christus Matth. 16. monens carendum à fermento discipulos, ut caveant sibi à Pharisæorum, hoc voluit, ut fermento Pharisæorum & Sadæverentur, quoad mores, ducorum. Cuiusq; id discipuli NON quoad DOCTRINA. intelligerent de panibus, illic NAMP; 57. Malach. 2. Christus interpretatus est de taxatur mala vita. pag. 59. DOCTRINA. In moribus Verba (in lege) explicari externis nihil erat magnoperè pos-

Christus Matth. 16. hortatur à fermento discipulos, ut caveant sibi à Pharisæorum & Sadæverentur, quoad mores, ducorum. Cuiusq; id discipuli NON quoad DOCTRINA. intelligerent de panibus, illic NAMP; 57. Malach. 2. Christus interpretatus est de taxatur mala vita. pag. 59. DOCTRINA. In moribus Verba (in lege) explicari externis nihil erat magnoperè pos-

repre-

possunt de moribus. Nam & reprehensione dignum. Tectam  
is, qui improbè vivit, scan- enim habebant lupinam rapae  
dalizat suum proximum in citatem sub ovili habitu.  
lege Christiana. Pag. 61. Pag. 58.

### Tostatus.

Matth. 16. quæst. 23.

Quæritur, quomodo DOCTRINA Phariseorum  
vocatur hic fermentum? DOCTRINA MALA voca-  
tur fermentum, quia valdè corrumpit. Nam sicut  
fermentum existens parvum in quantitate alterat  
totam massam, & corrumpit eam, si superabundan-  
ter ponatur: Ita & parva HÆRESIS inficit totam sa-  
nam doctrinam. Sic dicitur I. Cor. 5. Modicum fer-  
mentum totam massam corrumpit, & quantum ad  
hoc, magis vocatur fermentum MALA DOCTRINA  
quàm bona, quia doctrina bona, si pauca sit adjuncta  
multæ doctrinæ malæ, non permutat eam, ut faciat  
hominem bonum. Doctrina autem mala parva, mul-  
tæ doctrinæ bonæ permixta, totum inficit, & homi-  
nem malum reddit, & hoc, quia, ut ait Dionysius,  
bonum fit solum ex integra causa, malum vero ex  
defectibus singularibus, & ideo, si quis unicam hæ-  
resin teneat, etiamsi tota alia doctrina sana sit, erit  
hæreticus, & non è contrario. Sic ergò erit fermentum  
MALA DOCTRINA ECCLESIASTICA,  
quia valdè alterat & corrumpit. Sic dicit Hierony-  
mus: Fermentum enim hanc habet vim, ut si farinæ  
mixtum fuerit, quod parum videbatur crescat in-

C 3

majus,

majus, & ad saporem suum universam conspersio-  
nem trahat. Ita DOCTRINA HÆRETICA, si vel mo-  
dicam scintillam intui pectus in brevi flamma con-  
crescat ingens, & totam hominis positionem ad se  
trahat Ibid. q. 24. Quid sit fermentum Phariseorum  
& Sadducæorum, & quæ erat MALA DOCTRINA.  
p. 188. F. Considerandum quod fermentum vocat  
hic PARVAM DOCTRINAM, quæ consistit tamen in  
verbis, quam in conversatione, cum per externa do-  
ceatur quis in mortalibus: Ideo illorum dicitur fer-  
mentum, qui PARVAM DOCTRINAM verbo vel  
opere aut exemplo ostendunt, & quia sic erat de Phari-  
sæis & Sadducæis & Herode, omnium istorum trium  
dicitur esse fermentum. Et paulo post: De fermento  
Phariseorum & Sadducæorum dicendum, quod DO-  
CTRINA est, cum dicatur in litera quod nunc intel-  
lexerunt, quod non dixerat, cavendum à fermento,  
sed à DOCTRINA. DOCTRINA enim Sadducæorum  
mala erat. Nam Spiritus esse negant, & Angelos, &  
resurrectionem, infra 22. & Act. 23. & ista est DO-  
CTRINA PERNICIOSA auferens totum bonum hœ-  
minis. Cum totum bonum nostrum sit post mor-  
tem, & erat valde contraria ista doctrina doctrinæ  
Christi, qui evangelizabat vitam æternam, quæ post  
mortem est, & ideo ipse redarguit semel Sadducæos  
dicens: Erratis nescientes scripturas neque virtu-  
tem Dei, inf. 22. & Luc. 10. & hoc fermentum tota-  
liter cavendum erat. De Phariseis dicendum, quod  
doctrina eorum, quantum ad aliquid, erat bona:  
Nam ipsi resurrectionem & Angelos & Spiritus con-  
cedunt. Act. 23. Et quantum ad hoc, non erat doctrina  
coram

eorum fugienda. Sed ista non vocatur doctrina eorum, nisi illa, quæ propriè ipsorum erat, & tamen resurrectionem esse & Angelos & Spiritus totius sacræ scripturæ doctrina erat non ipsorum Phariseorum. Unde quando Christus arguit contra positionem Sadducæorum solvendo eorum dicta ait: Erratis non intelligentes scripturas, inf. 22. & Luc. 10. & sic sacræ scripturæ continent de hoc, & non est propria doctrina Phariseorum, sed fermentum erat DOCTRINA PROPRIA ipsorum, & hoc erat, quod leges Seniorum (traditiones) tam strictè servarentur: quod divinis legibus præponerentur, & quod in exteriori munditia sanctitas esset, de interiore nihil curando, & quod cibus intrans in corpus coquinet animam, ut innuitur præcedenti capitulo, quæ omnia falsa sunt, ut ibidem ostensum est.

Etiam DOCTRINA sua ex opere, id est, quæ colligebatur ex opere, ipsorum erat, hominem humanum ambire, omnia propter laudes humanas efficer, desiderare primos accubitus in cœnis, & primas cathedras in Synagogis, & vocari ab omnibus RABBI, ut Christus dixit de eis, inf. 23. Etiam DOCTRINA eorum erat, malos esse & bonos videri, quod ad Hypocrisis pertinet, quem Christus valde arguit in Phariseis eodem capitulo; & istud est propriè fermentum Phariseorum. Sic Lucas 12. Attende & cavete à fermento Phariseorum, quod est Hypocrisis.

Sic dicit Beda: Fermentum Phariseorum est decreta legis divine TRADITIONIBUS hominum postponere, legem verbis prædicare & impugnare, factis,

factis, Dominum tentare, doctrinæ ejus aut operibus non credere, ab his omnibus cavendum erat, & dixit hoc Christus, quia discipuli erant aliqualiter inclinati ad doctrinam Pharisæorum, qui inter Iudeos velut religiosi reputabantur.

## II. Bavarici.

## Palatini.

*Sacra scriptura & Spiritus medio nostrum sententiam manifestam sanctus loquens pronunciat de omnibus controversis Religione scripturā non gienis. Iudicium hoc jam in hoc seculo potest judicare inchoatur, in novissimo autem die consensu controversias Rez summabitur. pag. 293. Spiritus sanctus ligionis; ADSIT, per scriptum verbum te judicat. p. 296. ADSIT, A Deo sermo meus judicabit vos in novissimo SIT & conde die, inquit Salvator. mnet me. Pag. 292. & seqq.*

Pag. 297.

## Tostatus.

Respondeat pro me Lyra super illo Joh. 12. Qui spernit me, & non accipit verba mea, habet qui judicet eum: Sermo quem locutus sum, ille judicabit eum in novissimo die. Lyra: Ostendit Christus, qui sit ille Judex, quando dicit, sermo quem locutus sum, ille judicabit eum in novissimo die. Sicut enim lex civilis dicitur judicare latronē in quantum ostendit eum dignum judicio & condemnatione, sic facta Christi,

& ejus DOCTRINA judicabunt infideles, quod ostendant eos dignos condemnatione, sed quia ipsemet Christus judicabit effectivè in adventu secundo, ideo sequitur, quia ex me ipso non sum locutus, propter hoc n. sermo Christi ostendet infideles condemnabiles, quia procedit ex infallibili veritate, scilicet à Deo Patre; proprium enim delictum condemnat quemlibet peccatorem. Concordat Hun. pag. 297.

## 12. Bavarii.

Dupliciter potest aliquis docere, primò simplici suassione: Ita possem aliquem docere, ut eat ad illum & illum pagum, quod solum esset MALVM. pag. 83. Quod ad Vriam attinet, dico illum non definuisse, culsum Idololatricum tenendum & ab omnibus observandum esse. Pag. 61.

## Palatini.

Vrias populum docuit non tantum per inductionem & suasionem, sed etiam viva voce definiendo.

Pag. 85.

## Tostatus.

Persuadentes majore poena puniuntur quam agentes, prout patet in Decretis, 86. dist. c. tanta. Et hoc quia persuadere interdum plus est, quam compellere. ff. de ser. corr. l. i. §. persuadere. 1. Reg. 16. 3. col. 2. t. c. 3. F.

## 13. Bavarii.

Quod ad Vriam attinet, dico illum non definitivisse, cultum

## Palatini.

Vrias Pontifex erravit, quando removit aram Domini,

Ido D

*Idololatricum tenendum, & mini, & in eius locum aliam ab omnibus observandum esse: constituit: idq; eo fine, ut s-  
sed potius in facto, quam in do- crifcia immolarentur Diis  
etrina errasse, Pag. 60. Damascenis. Pag. 58.*

*Tostatus.*

*Lib. 4. Reg. cap. 16. super verba:*

*Misit Rex Achaz ad Uriam Sacerdotem.*

Iste erat Sacerdos Magnus tempore Achaz, ideo pertinebat ad eum præcipua cura de rebus pertinentibus ad sacrificium, & ob hoc misit ad eum Achaz similitudinem altaris Damasci, ut simile fabricaret. Et paulò post: Quæritur, quomodo Urias Sacerdos voluit fabricare altare pro IDOLOLATRIA? Respondendum, quod hoc fortè fecit Urias, quia ipse erat Idololatra sicut Rex: Nam sicut interdum declinabant populi cum Regibus ad Idololatriam: Ita etiam declinabant Sacerdotes. Unde MULTI erant Sacerdotes Idolorum de his, qui erant de genere Aaron, sicut patet inf. 23. Nam Rex Josias quosdam de Sacerdotibus excelsorum occidit, quia erant SACERDOTES Idolorum, alios verò non occidit, sed prohibuit ministrare cum cæteris, dando tamen sibi sustentationem de redditibus sacerdotalibus, quod non fecerat, nisi essent Sacerdotes de stirpe Aaron. Aliter potest dici, ut placeret Regi, qui valde inclinatus erat ad Idola, laudabat facta ejus, & etiam ipse cum eo Idola colebat. Vel fortè faciebat propter timorem, quia Rex cum Idololatra esset, occideret eum, nisi coleret Idola: vel auferret redditus. Voluit ergò potius carere Religione & DEUM offendere, quam reditus amittere.

Bava-

14. Bavarici.

*Ad formam, ad formam  
nego sequelam, notetur, quod  
non potuit responderi ad for-  
mam. Ego vos docebo modum  
respondendi ad formam, &c.  
Per totum protocollo.*

Palatini.

*Nos suo loco probamus &  
audamus Dialecticam &  
Logicas præceptiones, & u-  
surpamus illas, quantum  
satis est ad rerum explica-  
tiones. Pag. 69.*

Tostatus.

Valet consequentia: Sic dicitur in sacra scriptura, Ergò sic est. Et patet ista consequentia, quia verbo Domini cœli firmati sunt, & omnia, &c. Psal. 32. Et quia ipse dixit, & facta sunt, Psal. 148. Cœlum & terra transibunt, & quæ sequuntur. Deut. 4. quæst. 2.


Concordat Lyra ibid. his verbis: Lex divina vocatur intellectus, quia ejus VERITAS CERTISSIMA, certitudine adhæsionis, licet non certitudine evidentiæ, & ea quæ sequuntur, ex divina lege debent tanquam vera approbari, & quæ repugnant, tanquam falsa repudiari.

Idem in Prol. in Genesin.



D 2

Proble-



## Problemata duo:

### I. Ad Tannerum.

*Si Papa Romanus, & pro tempore Clemens VIII. est Iudex omnium controversiarum Religionis cum & sine Concilio, ut habetur in Protocollo pag. 35. & 168. Quomodo stabit hoc, quod dixit: Ecclesiam esse Iudicem omnium controversiarum? Pagina 380.*

### II. Ad Gretzerum.

*Qui dicit, pag. 71. Si quis me cogeret, ut quid facerem contra fidem & religionem meam, interius tamen possum habere fidem: Quid responsurus sit Christo, Matth. 10. Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego cum coram Patre meo, qui in cælo est: Qui autem NEGAVERIT me coram hominibus, negabo & ego cum coram Patre meo, qui in cælo est?*

Proprietary

z D

Sequun-

# Sequuntur tria Argumen- ta Studiosorum ad utrumq;

## I.

Tostati mens & doctrina semper fuit pura,  
sancta & catholica.

Ergo prædictæ positiones Tanneri & Gret-  
zeri contrariæ sunt hæreticæ:

Antecedens probatur ex vita Tostati &  
omnium Pontificiorum suffragio. Conse-  
quentia patet, quia plus uno verum & ca-  
tholicum esse non potest.

## II.

Quicunque profert & defendit dogmata Ca-  
tholicis contraria, est Hæreticus:

Tannerus & Gretzerus protulerunt & de-  
fenderunt dogmata Catholicis ( ut pa-  
tet ex præcedentibus ) ex Diametro  
contraria.

Ergo Tannerus & Gretzerus sunt Hæretici.

## III.

Quicunque profert & defendit dogmata Ca-  
tholica, est Catholicus.

D 3

D. Hün-

D. Hunnius & D. Heilbrunnerus protulerunt & defenderunt dogmata Catholica, ut patet ex præcedentibus.  
Ergo D. Hunnius & D. Heilbrunnerus sunt Catholici.

Respondeant Domini ad formam & materiam,  
ne potius pro Sophistis, quam Theologis habeantur.

In V caput Deuter. quodst. X-X-

Si aliquando diabolica insurgat tentatio, proponens nobis, non esse nos a' Deo prefatos, non apertianus eis, sed totis viribus eam fugianus, quia nulla tentatio quin ista periculosis est. Angit n. in Davice. Humiliemur ergo coram Deo. Lolo corde, ga fidei est, & scipioen regale non paret, et expandit nos invescantes, et quod volentes eum in veritate, quia voluntatem timuerunt se fecit. Et affectantes omnis spiritus malorum virorum, qui nos preceibus & comonitionibus a male resuscitant. Et uacuous aperte lepros sacrae scripturae, in quibz misericordia eius infinita demonstrantur, considerantes q' & nobis Dom oraverit (Job. 17) Tard'a. auferuntur.



Et fuit illa oratio cum clamore usitato, quod p' ea reverentia expanditur est, Heb. 5. Hoc enim & similia frequentius relegentes in ardorem & spem aeternam conuicem accendimus: quia quidcumque scripta sunt, ad nos tram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam & consolacionem scripturarum operi habeamus, in est, certam expectationem uita aeterna. Rom. 15.

In XVII caput Deuter. quodst. IV. Et non deichabitis ad dexteram, nec sinistram, id est, tota hanc obdies uerticem eorum, ad nullam partem declinamus. pridem glotta lebriu' dicit, quod si dixerit iuxp ille, quod manus dextra est sinistra, vel similia, quod etiam credenda est ibi, et tenenda eoz sententia. Sed iuste debent in hoc, qd null' h' contra per se nota veritatem dicendi credendum est: maxime qd hoc induxit contradictionem. Iean legueretur, quod si diceret ep' credendo Deos alios, credendum est ei, ex p' mandando contra aliqua legem. Sed in libro positor contrarium, quia dicitur, quod illi iurices duas conditiones habere debent. Prima, q' iuricent secundum veritatem, quia tr. q' iudicabunt bin' iuric' veritatem. Secunda conditio, q' n' iuricent contra legem, dico te. Et docuerunt ei iuxta legem sig. Ergo uidebas, quod si iudicauerint contra ueritatem, vel contra legem, q' non est ei advertendum.

Johannes Person de Vita spirituali animæ Corollario X<sup>mo</sup>

Addimus, quod nulla traditio, vel regula, vel lex, vel determinatio  
juri dominis, qui in talibus fallere potest et fali, obligat ut præcise  
talis est, subditos ad credendum eam tanquam veritatem fidei aut  
biuinam legem, hanc obligare potest sub pena publica ad exteriorum  
eius receptionem & ad non impugnandum eam. Expide palet via  
ad inuestigandum partem lantem, quid operatur determinatio summonus  
Pontificis, quid condonato articulorum Parisij vel alibi facta. Procerit  
siquidem fieri, ut ab eo peccato mortali, immo cum merito magno, sit aliquis  
Theologus vel alius prudens, qui dissentiat corde ab ~~determinationibus~~ summis traditionibus,  
qui tamen obligabitur ~~per~~ evanescere scandali vel abierit, non repugnare coepit.  
Nam potest aliquarum publicam veritatem prohiberi, et aliquarum falsitatem  
dogmatizatio permitti.

Idem ibidem, nomen de vita spirituā tria, sub initium. Solus potest dare præcepta  
affirmativa aut negativa sub pena mortis aeternæ, quia illam infligere solus  
potest. Nullus ergo periret graviter, nullus ratione dannosus aeternus incurrit, nisi pro  
quanto divina legi precepta transgredi posse existent.

Ibid Corollario quarto. Omnes horum canonicarum, transgredi scilicet ecclesiasticorum  
et generalium omnium patitorum & regularum & canonicorum non quam in mortale peccatum,  
nisi pro quanto divinitate legi precepta disponens invenerit.

Consulteremus cuiuslibet fidei, ut sic ex dei grā credendum pdestinatum: sed ad hoc perducatur non  
propter sine magnis laboribus, ut sic desperatas non recedat ab omni opere bono. Et ad minorem credem  
grā predestinationis sine aliquo opere se gloriam adspiceret potest, quia in ppe pdestinationem psumus ep  
plerumque sine magnis & suorum precibus adspicere non possumus — Et hoc quod non possunt Act  
Cort. 13. Nunc manent in nobis Fides, Spes, Caritas. Spes autem certa expectatio beatitudinis ex gratia  
Dei: sed nullus potest credere expectare vitam aeternam, nisi se crederet pdestinatum, quia alius  
impostor est: ergo licet nobis, immo debemus credere, nos fore pdestinatos. Et si aliquis dubitabat Cito

AKT II. 1008

VOTF  
n. c





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-5426-p0033-7

